

Q. N. 353, 27

X 1875843

II l
382

I. N. D. N. J. C.

C L Y P E U S R E G I U S.

S I V E

Disertatio

D E

REGNORUM PRÆSIDIIIS ET MVNIMENTIS,

Q V A M

In alma ARGENTORATENSI Universitate
MODERATORE

Viro Magnifico Nobilissimo Amplissimo

DN. J. HENR. BOECLERO,
S. CÆSAR. MAJESTATIS, & Eminentissimi Ele-
ctoris MOGUNTINI, Consiliario, Palatii,
Aulæque Cæsareæ Comite, ac HISTORIA-
RUM PROFESSORE ordinario,

SOLENNI Eruditorum EXAMINI subicit

DANIEL de BESCHE

Suecus, Author.

D. 13 Junii, horis locoque solitis.

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,

Imprimebat JOHANNES Schüz.

Anno M. DC. LXIIX.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAMLE)



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPIS ET DOMINO

DOMINO

CAROLO

SUECORUM, GOTHORUM VANDALORUMQUE

REGI,

MAGNO PRINCIPIS FINLANDIÆ,

DUCI

SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI-POMERANIÆ, CASSUBIÆ ET VANDALIÆ,

PRINCIPIS RVGIAE,

DOMINO

INGRIÆ ET VISMARIÆ:

NEC NON

COMITI PALATINO RHENI, BAVARIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, ET MONTIUM

DUCI,

REGI ET DOMINO

MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME ET POTEN-
TISSIME

REX ET DOMINE,
DOMINE CLEMENTISSIME.

PRescripsit sibi hic libellus ti-
tulos Regios, & ad Regem
viam affectare non veretur.
Utrumque institutum, facinus juve-
nile & temerarium ne reputetur, in
prom-

promptu est periculum: si, causâ non-
dum dictâ, censura exercenda sit. Sed
abunde me consolatur REGIS, cui
me totum mancipavi, æquanimitas;
& defendit, vitæ, cui nunc operor, con-
suetudo. Quos enim Suecia domi fo-
risque animum jubet ingenuas per ar-
tes excolere, illis prima utique negotij
tam studiosi lex videtur proposita, ut
in Regno, personam civilem gesturi,
imo Regi suo vivere certi, Regiam ante
omnia majestatem venerari, Regia de-
cora meditari, omnemque regnandi
rationem disciplinâ complecti anni-
tantur. Ita, qui optimates agnoscunt
dominos, eorum ingenia & artes per-
discere; qui populum rectorem optant,
omne popularis prudentiæ argumen-
): (tum

tum novisse, summam operis & studio-
rum rationem ponunt. Quidni ergo,
ea mihi potissimum cognoscenda puta-
rem, quæ ad Regni & Regum Sueciæ
virtutem fortunamque pertinent? At
enim indigna sunt juvenilium cura-
rum rudimenta, quæ Regi offerantur,
cujus oculi non nisi egregiis & accura-
tis doctrinæ spectaculis assueverunt?
Recte hæc mihi objectari tum pote-
rant, si ego pagellas istas monendo Re-
gi destinassem. Sed, quando declaran-
dæ in Regem suum pietati qualiacun-
que munuscula grati cives non probi-
bentur in Aulam allegare, eaque pars
Regiæ virtutis censetur, tale obsequii
& fidei genus non fastidiri, nemo mihi
queat vitio vertere, quod devotissimi
Sac.

*Sac. Regiæ Majestati animi titulum
à Musis familiaribus mutuatus sum.
Quicquid Tibi, REX CLEMEN-
TISSIME, vel à natura, vel à fortu-
na, & arte, magnum divinumq; com-
petit, propositum mihi fuisse, dum
Regium Clypeum venerabar, non pos-
sum inficiari. Atque adeo, si quid vi-
goris aut spiritus potuisset capere hic li-
bellus, Tui exempli vigeret & spiraret
auspicio. Sed in magnis, etiam defecis-
se, veniam, si non gratiam, habet. Ri-
deres, & ingenuæ voluptatis sensu ex-
hilarareris, REX AVGVSTISSIME,
si quando conspiceres, Regium Cly-
peum in medio positum, non nisi viri-
li magnoq; robore tractabilem, puerili
manu conatuq; invadi ac portandum
deposci.*

deposci. Ita, cum Armigeros habeas,
quibus nihil dignitate illustrius, viri-
bus valentius, orbis novit; non irasci,
sed oblectari Te posse, veri est simile, si
rudimenta sua imperitior ætas, luden-
do aut præludendo publicare, & auda-
culâ ambitione, quod nequit armo-
rum gerendorum explicare officio, fa-
cta ad festivitatem imitari fabulâ in-
stituat. Annue propitio, id est Regio
vultu, spes Europæ, REX CA-
ROLE,

Officioque, levem non averfatus honorem,

Huic Tibi devoto numine dexter ades.

Ita Te DEUS sospitet conservetque.

Argentorati 21. Maij 1668.

SACRÆ REGIÆ MA-
JESTATIS TVÆ

subiectissimus

servus

DANIEL de BESCHE

Beneuolo Lectori.

Ioannes Henricus Bœclerus

S. P. D.



Qui in Academiis aliquantum temporis & studii ponere, vel suo vel suorum consilio decreuerunt, eiusque rei gratiâ peregre ætatem agunt, illi duplex hoc sibi negotium dari, præclare solent intelligere: tum, vt ea potissimum confectentur, quæ in præcipuo domi vsu sint habituri; tum, vt id se fecisse quod Patria expectabat, aliquo in ipsa suæ industriæ officinâ specimine edito publicè testentur. Ita enim se comparare debent, qui tam nobile institutum sequuntur, vt Reipublicæ causa abesse, & rationem illustris absentiae accuratè reddere voluisse videantur. Non deflexit à regia hac laudatorum itinerum viâ, strenua & ad omne laudum decus erecta mens Nobilissimi Viri, DANIELIS

):():(

de

de BESCHE. qui cum ex Suecia profectus, & alias vrbes gentesque vidisset, & Argentoratenses apud Musas hospitii necessitudinem contraxisset, aliquid de mercibus sibi comparatis, Xeniorum vice domum remittere, pietatis & officii duxit. Si enim Peregrinatorum elegantia & comitati tribuitur, quod ex longinquis locis modo libros, modo varia naturæ & artis spectacula, ad ciuium suorum aut necessariorum oculos allegare solent: quanto plus fauoris meretur, suorum laborum documenta, Patriæ destinata, Numini Patriæ Tutelari consecratum ire? Omnia sincera & ingenua. scribendi genus florentiori ætati consentaneum. certamen ex diuersarum examine sententiarum eruditum. Testes & Iudices omnigenâ meritorum luce splendidi, loco perillustri, ad Musica hæc sacra, velut in Athenæum, aut Arcum pagum, faustis auspiciis conuocati. Quæ cum per se commendationis plenissima sint, meo non indigent calamo. Deum potius veneror,

Sp. (*)

neror, vt nouis subinde profectuum nobi-
lium incrementis, ingenium reipublicæ
natum augeat; & ad pulcerrimæ imitatio-
nis studium, reliqua etiam Juuentutis Aca-
demicæ ornamenta, exstimulet. Vale,
Lector Beneuole. Scr. Argentorati 29. Maij
1668.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





C L Y P E U S R E G I U S.

I.

*Ingressus in hunc Sermo-
nem. Delectus Argumen-
ti, ex Hieroglyphicis. Scopus
ad Historiam & Sapien-
tiam civilem relatus. Ordo
dicendorum.*

CLYPEUS REGIUS, huic Dis-
sertationi, in usum Academicæ Exercitatio-
nis natæ, veluti Index præfigitur. Si quis
hoc obscurius fieri putabit, tuebor me
exemplis, ex ultima antiquitate, ne nostro quidem ævo
ignotis aut inusitatis.

A

II. Sa-

II. Sapientissimi Veterum ; maxima quæque tum ciuilis prudentiæ , tum naturæ mysteria solebant *imaginibus , Symbolis , sacris sculpturis sive Hieroglyphicis* , quæ vocantur , complecti.

III. In ipsis *sacris & verè Divinis monumentis* , non exiguæ nec profanæ significationis *Symbola* , per multa occurrunt ; sicuti vel ex *structura Templi & sacre supellectilis* , & *habitus sacerdotalis* (ne alia nunc attingamus) obvium est perspicere.

IV. Ex *Nationibus* huc præter cæteros *Ægyptij* incubuere ; ex *Philosophorum* generibus , Poëtæ : felicius , infelicius ; aptius , ineptius . neque enim semper propitiâ *Minerva* res successit . Interpretandi studium attulere *Valerius Pierius , Laurentius Pignorius , Cassinus* , & *commentariorum scholiorumque scriptores veteres & nuperi* .

*Iliad. Σ.
Αωνις ηρακ.
Æn. lib. 8.*

V. Ex infinitis speciminibus forte obversari cœpit oculis meis eruditus & ingeniosus labor , quo tres Poëtarum principes , *HOMERUS* quidem , *ACHILLIS* ; *HESIODUS* , *HERCULIS* ; *VIRGILIUS* , *ÆNEÆ CLYPEUM* finxerunt & formarunt.

VI. Alias res agat oportet , qui non animadvertit , plus quàm picturam aut simulacri oblectamentum in istis tam operosis descriptionibus exhiberi . Si dicendum quod res est , *omnis civilis prudentiæ summa* , verum tegmen , quo magnarum & publicarum rerum
acto-

actores muniuntur, Clypeis istis perscribitur atque designatur.

VII. Quare, non obscurâ ratione, lector, qui ingenium talibus scriptis debitum attulerit, hinc fabricabit **CLYPEUM REGIUM**, id est præsidium armorum ac instrumentum, non jam Achilli & Æneæ ad militiam, Herculi ad pugnam; sed **REGI**, ad muneris & operis Regij fortunam accommodandum.

VIII. Quod ut clarius appareat, repetemus primo; **CLYPEI INTER ARMA ÆSTIMATIONEM ET SIGNIFICATIONEM**; deinde, **CLYPEI, UT REGIUS FIAT, ELABORATIONEM** interpretabimur: Tertio, & præcipue, **USUM VIRTUTEMQUE REGII CLYPEI, IN PRUDENTIA REGIA** contemplantur.

IX. Atque in his, tum aliæ *historia Regia*, tum præsertim Patriæ sive Suecicæ nobis lucem, vim & spiritum mutuabuntur. Æquum enim est, ut suæ quisque gentis res gestas, præ ceteris, studiosius meditetur.

Deum, ut annuat; Lectorem, ut faveat cœptis, rogamus.

II.

Clypei in armis nota prerogativa. Clypeus Poëtarum à nonnullis ad Magiam naturalem refertur. Artis Heraldicæ in eo specimina. Significatio Regij muneris operisque in eo præcellit.

Chiflet. ad vindic. Hisp. lum. Prærogat. 4.

Proverb.

IN Armis propugnantibus CLYPEUS & GALEA præcipuam æstimationem habent, ita, ut sæpe, cum junguntur, totum hominem militariter armatum referant. Exemplo sunt, *Trophæa Veterum*. Et ratio non obscura, ex *legibus & moribus*, tum *ludorum* militarium, tum veterum *Certaminum* petitur: quando superioribus sæculis indecorum habebatur, ictus aliter inferre, aut infra cingulum. Pectus & caput opponebant adversariis pugnatores, quorum illud Clypeo, hoc Galeâ tegebatur. Sed de Galeâ, nunc non agimus.

II. In *Clypeo* adornando plurimus labor. sicut in Exemplis Poëtarum ante nominatis apparet. Quare curiosis ingeniis, multa commentandi & divinandi occasio suppetere visa est.

III. Qui-

III. Quidam enim, Homerum, Hesiodum, Maronem, in fabricâ Clypei, MAGIAM NATURALEM ET MYSTERIA OCCULTARUM VIRIUM voluisse exprimere, arbitrantur. Itaque variè *mixturam metallorum*, ad altiores virtutes elevandorum; *Characteres*; *fabricandi tempora & artes*, inquisitum eunt; & ex figmentis suis, quandam quasi disciplinam & sapientiam extruunt.

IV. Plus ad veri fidem pollentia afferunt, qui ARTIS HERALDICÆ, ut vocant, signatas hinc imagines arcessunt, exponuntque. Ad sunt *Metallorum*, *Auri* præsertim & *Argenti*; *Colorum*; *Symbolorum*, insignia, discrimina, exempla. Neque multa videntur in præceptis & observationibus extare, ex quo *Armorum descriptio* in artem ivit; quibus non talis *Clypei non-enarrabile textum*, vel specimen, vel rationem & lucem supeditare queat.

V. Iuvaturque hæc opinio perpetuâ illâ sentiendi loquendique consuetudine, à vetustissimis temporibus in propiora propagatâ, de *Armis Heroum*, eorumque singulari *origine*, *virtute*, *formâ*: quæ omnia, ad *divinum munus*, aut *Fortunæ beneficium consiliumque* referre solebant; non sine fabulis quidem; Sub quarum ambage aliquid veri significari, plerumque creditum est.

VI. Hoc enim est inprimis ad veterum sapientiam eximium, ut non Heroici modo, Martiique; sed

Regij præsertim operis munerisque contextus, Clypei talis imaginibus, exhibeatur, Omniaque Regni agendi decora tam operosâ picturâ figurentur. VIRTUS præsertim & PRUDENTIA REGIA, expressas hic videntur habere figuras. Aut, si conciso genere loquendi utimur, in *Prudentia Regia* inest, quicquid pace belloque validum aut decorum est.

Lib. 6. Æneid. VII. Ipse *Virgilius* interpret esse potest hujus sententiæ. Cum enim, *imperij regendi pace belloque artes* commendasset, & in Romanorum gestis exempla præcepisset; postea Clypeo *Æneæ* eandem *Famam*, eadem *Fata nepotum* inscribit.

VIII. *Divinum munus* faciunt talem Clypeum, tum *beneficij*, tum honoris causâ, neque promiscue, datum. *Admirabile* faciunt & *venerandum*. *Arte varium*, *virtute potentissimum*, concinnant. Hinc *Æneas*

— *Deæ donis & tanto letus honore*
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit
Miraturque.

Et de Vulcani Cyclopibus præcesserat:

Ingentem Clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum.

IX. Quæ omnia, *Regium* quid spirant. Nam & *Majestas Regum*, à *Deo*, cujus vices in terris gerit, deducitur: & *virtus Regum actioque*, *divinis* viget auspicijs: & *successus fructusque Regij operis*, *com-*
munem

munem hominum sortem excedit. Quare & symbola, ac insignia, quibus hæc denotari & exprimi solent, *divinitatem* quandam habere, etiam remotâ superstitione & nugandi licentiâ, putantur. Iuvat hoc genus sapientiæ propius & singillatim intueri.

III.

Heroum, Regumq; Clypeus est, qui à Poëtis describitur. In quo Nativitas & Indoles Regia signatur. Educationis & Studiorum Regiorum imagines. Virtutum Regiarum Symbola. Operum Regiorum pignora. Artificij & Fabricæ comparatio & collectio.

HÉROES fuerunt, quorum de Clypeo sermo est; id est, à divino numine magnis publicisque rebus gerendis destinati: Singularibus & supra communem mortalium sortem dotibus artibusque instructi; vi mentis atque ingenij inusitatâ eminentes, operum mirabilium patratores; quibus varij anticipesque casus haud raro intercedunt: inter homines reliquos, quodammodo Reges; inter Reges, fatis operi-

operibusque Regiis maximi clarissimique regnatores. Eo enim redeunt, quæ de Heroibus, antiqui commentantur.

II. ACHILLES inter Reges Græciæ non supra verum ab excellentissimo Poëtarum deprædicatus; ut *in Heroicis.* *Philostratus* iudicat: ÆNEAS, præter alia Regia merita, novi & incomparabilis regni conditor, Virgilij præsertim ingenio descriptus; nec vanè à sociis indicatus:

Æne. lib. 1. *Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis:*

HERCULES autem, tyrannorum domitor, quicquid ubique monstri aut sceleris fuit, virtute animi atque robore dextræ comminuendo, omni Regio fastigio sublimius opus regium perfecisse iudicatur, quotiens è *Grot. de J. B. lib. 2. cap. 20. n. 10.* fabulis veritatem eruere, scriptores antiqui & novi solent.

III. Retinebit, in gratiam triplicis exempli, hæc dissertatio nostra illam viam & rationem, ut pleraque de CLYPEO REGIO dicenda, referamus ad ORIGINEM ET EDUCATIONEM REGIAM, tum ad MERITA ET FACTA REGIA, tam in condendis, quàm in tractandis Regnis.

IV. Licebit nobis, aliter more *Homerico* uti, quàm vulgo solebant. Quamvis enim talem Clypeum habuisse Achillem, ut *Homerus* describit, merito neget apud *Philostratum* Protefilaus; quia tamen Poëta jucundissimum ac ingeniosissimum in eo fabricando

cando argumentum excogitavit, *Vrbesque & astrorum ignes & caelestia signa, pacis praterea bellicae instituta & decora depinxit*; non erit obscura in fabularum imagine veritas, nec ex commento, doctrina sapientiae non elucescet.

V. *Divina ope, & Parentum curâ, Clypeus accommodatur Heroibus.* Deus est nimirum, qui format & armat Heroes; Illustribusque Familiis hanc fortunam adjungit; Ut magnam ex se indolem, per seriem Heroicæ successionis, progenerent, jura gentibus, exempla sæculis daturam. Gravis est, & prudentiæ specimine magna *Diodori Siculi* sententia, cum genus *Herculis* recensuisset: *Virtus ejus non tantum in actionibus & præclaris facinoribus spectari debet, sed etiam antequam nasceretur, cognosci præviderique potuit.* lib. 4.

VI. Mira sæpe est, & quodammodo imperscrutabilis, *Fortunæ Regnorum industria, in moliendis machinandisque matrimoniis, conservandâ profapiâ, excitandis incrementis, sive, ut propius ad rem loquamur, generandis Regibus Heroibus.* In *Suedicis* memoriis, *RAGNERUS*, patri *Hundingo* successurus, ab Saxo Grammat. Hist. Dã. lib. 2. *injusta noverca ad jumenta pascenda ablegatus, omni spe regiae conditionis quasi fulmine deiicitur.* Joh. Magn. Hist. Goth. Sueon. lib. 2. c. 15. *Adversus extremas calamitates en subito adest Achilli Thetis, Æneæ Venus, & regnaturi juvenis indolem Regia virgo Suanvita in oculis & ore legit, ex desperatione ad spem Regni excitat; & ut illæ Diuæ clypeum, ita hæc *Gladium* porrigit; vere Regium; &*

B

mox

mox Regiâ manu vibrandum. Absint superstitiones, quanquam illis temporibus valdè familiares. Gladium credamus, consilium & instrumentum excitandæ ad regnum capessendum Regiæ indoli opportunè suggestum suppeditatumque. *Iohannis Magni nostri* eximium in hac re iudicium est. *Non tulere fata, inquit, ut Regius sanguis inter servilis conditionis angustias obsolesceret, quem natura aliorum genuerat præsidem & rectorem.*

VII. Qualis illa Indoles in GUSTAVO ERICI DE WASA; quam Johannes Daniæ Rex ex ipso pueri vultu deprehensam, vero vaticinio celebravit; *Hic si vivet, Vir erit magnus?* vixit: magnus & vir & Rex fuit. Et tantarum rerum fidem generosa paterni maternique sanguinis nobilitas in ore, in oculis, conspicua & præfaga imagine expinxerat.

Loccen. Histor. Suec. lib. 6. p. 200.

*Quæ propior sceptris facies, quis dignior aulâ
Vultus erat?*

Scilicet — *mens ardua semper*

Claudian.

*A puero, tenerisque & iam fulgebat in annis
Fortuna majoris honor.*

VIII. In GUSTAVO ADOLPHO adhuc puero, exsplenduit Regiæ virtutis indoles, qualem à condito orbe paucorum cepit spiritus. Atque inter rudimenta militiæ, cum incredibili ardore confligendi cum hoste teneretur, Rex Pater in subsidiis eum collocaverat. Lacrymas non tenuit Regius adolescens, quod à spe confligendi, & virtutis suæ existi-

existimatione, submotus, & quasi in tutiorem locum relegatus videretur. Quasi cum poëta dicere vellet:

*Cur annos obicis! pugnae cur arguor impar?
Aequalis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus
Veteret, & Patri non degeneraret Achilli.*

Claudian.

Quo Parens animadverso, in primam aciem transtulit cupientem, vestigia magnæ indolis agnoscens. At cum hostis interim à tergo coortus esset, rursus deplorabat suam infelicitatem, quod à certamine longius abesset. *Quis illa cum cerneret, non jam tum etiam tempestatem illam, quæ hostes suos obruit, prædiceret?* ut hoc oratoris eximij verbis efferamus.

Math. Bernegger in laudat. funebri.

IX. At ne quis à laude apud nos cessaret sexus, quanta in TANTI PARENTIS INCOMPARABILI FILIA CHRISTINA eluxit Indoles? Quis non ipso aspectu commotus, cum poëta exclamasset:

*O quam Te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat. ò Dea certe:
An Phæbi soror, an Nympharum sanguinis una?*

Virgil.

Cælestis indoles in tot Heroum Regumque maximorum stirpe, etiam foemineâ, plusquam viriliter emicuit; & poëticas ambages ad verum revocavit.

X. Et quis hic præterire queat Divinum germen CAROLUM Regem nostrum? In cujus ore, Parentum Avorumque majestas, omne Regium

decus, suspensæ ab hoc spectaculo Patriæ ostendit
promittitque. Faxit Deus, ut

*Magnorum soboles Regum, genituraque Reges
Vivat, & Arcoum repleat virtutibus orbem.*

Pignora habemus, quæ futuri fidem faciunt. In-
standum est votis & pietate precum, ut mox abun-
dè eventus respondeat.

XI. Indolem ejusmodi Heroicam & Regiam,
multa sunt in Clypeo Homericò quæ significant; præ-
ter ea, quæ jam diximus. Nam admirabilis illa *metal-
lorum & elementorum commixtio*, contemperatas opti-
me in unius ingenij vim vires opesque portendit. Et
dum *totius mundi, omnisque Reipublicæ argumentum*,
uno concluditur Clypei ambitu, facile licet intelli-
gere, hanc fabricam non aliis accommodari posse,
quam ingeniis omnis sapientiæ & actus civilis capaci-
bus. Quæ *primæ sortis, & divina*, vocari, mos est.

XII. Neque in singulis tantum Principibus
Heroibus, quos certis populis & temporibus Deus,
ut conditores, aut servatores attribuit, Indoles ha-
tenuis descripta elucet: Sed integris aliquando
Familijs fato singulari competit. Sunt exempla in
oculis, in præcipuis Europæ imperiis. Domi quo-
que non pauca invenimus. E quibus Inclyta Gens
de WASA, rei Suedicæ, verè fatale & incomparabi-
le bonum fuit. Intestina Discordia, & Tyrannis,
bestiarum, quæ res humanas vastant, truculentissi-
mæ;

inæ , Sueciam in eo collocaverant statu , quo nihil potest esse miserius. Hic vero Deus , maximum illum Heroem GUSTAVUM ERICI, ex captivitate in libertatem ; ex libertate , in liberatorem ; ex liberatore in Regem, per varios casus , per mille rerum discrimina provexit. Ex hoc sanguine CAROLUS IX, rebus difficillimis sustinendis ; & postea , infinitæ gloriæ ac securitati parandæ, GUSTAVUS ADOLPHUS, quem merito Magnum usurpant , veluti benefica sidera, enituerunt ; suffecitque his decoribus tutandis & amplificandis Serenissima Regina CHRISTINA : nisi quod animo à conjugali foedere alieno, metu deficientis *Familia tam Heroica , tam Suecis auspicate* , septentrionem terruit. Sed unde formido, inde remedium extitit. Demonstravit enim & fecit successorem , ex eadem Familiâ per maternam originem profatum Heroem, CAROLUM GUSTAVUM, qui instauravit Regiæ Fortunam Domus , & avita utrinque merita quibusdam quasi pignoribus Patriæ promisit ; imo in FILIO CAROLO exhibuit. Absolvat, & proprium Sueciæ faciet tantum munus , cœleste Numen ; pluresque Heroes & Reges emittet ex *Familiaris Fortune* penetralibus ; qui manu sua , ferre *Clypeum septentrionis propugnatorum* queant.

Svaning. in Christian. II. lib. 2. c. 12. n. 13. Loccen. hist. Suec. lib. 6.

XIII. Licet enim, si fabulas respicimus , quilibet horum Heroum, eas detrectare, & cum Poëta queat dicere,

Claudian.

— non Mulciber auctor
Mendacis clypei, fabricataque vatibus arma
Conatus juvère meos:

Si tamen, quod sub fabularum ambage occultari, antiquitas; & explicando repeti, fas esse junior ætas credidit, attendimus; non meretur nullam æstimationem fingentium ratio & auctoritas. Adeo nihil abest earum rerum, quas in hoc theatro spectari dignum æquumve est.

XIV. Ipsa præsertim EDUCATIO HEROICA ET REGIA, eximiè in Clypeo sæpius nominato scribitur. *Cælum* cum suis *sideribus*, *Ignis*, *Aer*, *Oceanus*, *Tellus*, *Natura rerum cum suis elementis*, hic consignantur. Regia est enim & Heroica totius universi cognitio: in cujus partibus hærent, quæ inferiora sunt ingenia.

XV. Minerva apud Homerum Diomedæ tribuit *scientiam*, *Deum & hominem noscendi*; id est, si interpretes Sapientiæ intentos audimus, RERUM DIVINARUM ET HUMANARUM COGNITIONEM. Quam qui consecutus est, ad quandam quasi similitudinem Dei accedere videtur; Ut Pythagoreorum habet ratio, & modus philosophandi, cujus aliquod specimen reliquit *Ocellus Lucanus*, *de Natura universi*.

Eustath. ad
Iliad. Σ. l. v.
128.

XVI. Ascendendum est altius, illis, qui Heroi Clypeum Regium formare cupiunt. Rex imaginem
& vi-

& vices gerit regnatoris omnium Dei. Ut imitari
 velit & possit Deum, propius ad hunc lucis & sapien-
 tiæ fontem accedendum est. NOTITIA Dei opus
 est Regi uberiore & sanctiore, quam quæ potuit ca-
 dere in sapientum primos, horumque principem
 Homerum; aut Heroes gentium, Achillem, Æne-
 am, Herculem. Melius præcipit futuris Regibus, qui
 teneris auribus inclamat: *Concupiscentia sapientia Sap. 6. v. 21.*
deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedi-
bus & sceptris, ò Reges populi, diligite sapientiam, ut in
perpetuum regnetis: diligite lumen sapientia omnes, qui
præstis populis. Nam ut postea additur, *Rex sapiens,* v. 26.
stabilimentum populi est. Nulla est autem religio verior, Arnob. adv.
officiosior, potentior, quàm Deum Principem nosse, scire Gent. lib. 2.
Deo Principi supplicare, qui bonorum omnium solus caput
& fons est. Hic solus Regum & Principum, rex &
 auctor & Princeps & Dux est. Multum dixit, neque
 tamen quantum diceret intellexit *Seneca, Augustino* De Civ. Deû
 quoque laudatus, quod ante omnes Regibus pronun- lib. 5. c. 8.
 tiandum est: *Duc me, summe pater, alti dominator Olym-*
pi, quocunque placuerit; nulla parendi mora est. Verbo
 dicam: aurea Clypei Regij pars & præcipuum mu-
 nimenti robur est, RELIGIO, QUÆ RECTE PIE-
 QUE NOVIT ET COLIT DEUM. Non debent à
 latere Regis discedere graves & pii Theologi, qui Re-
 giam disciplinam probe calleant, & bona fide doce-
 ant: ne vel ignorantia, vagandi; vel fucus aut su-
 perstitio, illudendi occasionem præbere olim queat.
 Utroque enim modo, ab auxilio Dei, & felicitate
 regiminis disceditur.

XVII. Eat in Exemplum, è domesticis ad-
reis, GUSTAVI MAGNI industria; qui, ut omnia
Sancti Bibliorum Codicis monumenta perdidicerat; ita
Regis pietatem & religionem in *Regio Psalte*, Regia
facta, & fata, in *Regum libris*, quique consimilis argu-
menti sunt, admirari & meditari callebat. Optabat
etiam, & auspicio regio incitare & conquirere destina-
verat, *interpretes illorum Librorum*, solidâ prudentia
& pietate, quæque his explicandis abesse non debet,
facundiâ, instructos.

Tat Agr. 4.

XVIII. Ex reliqua *sapientiâ*, modum tenuisse,
beatum Regij Educatores existimant; quando tem-
poris & aliarum curarum rationes accuratius subdu-
cendas sumunt. NATURÆ OBSCURITAS, vete-
ribus dicitur; quæ claritas erit, tum per alia subsidia,
tum si cum opificis cultu jungatur. quod in ani-
mo habuerunt *Theologi Veteres*, in luculentissimis de
Hexaëmero commentationibus; & exemplo bre-
viore *Lactantius*, de *opificio Dei*, tum ex Junioribus
Arndius.

lib. 4. veri
Christianismi:

Plin. hist. nat.
lib 8. cap. 16.
Athenæ.
dipnos. lib. 9.

XIX. Regum ingenia non abhorreere ab his
studiis, vel Alexandri laudata merito munificentia
ostendat, Aristotelem in naturis animalium perspi-
ciendis omni ope impendioque adjuvantis. Quod
& nostro Sæculo Magnæ Britannæ Rex optimus
CAROLUS I. in conatibus *Harvæi* fovendis, sin-
gulari cum laude præstitit.

XX.

XX. Imo in universæ naturæ amplitudine indagandâ & explicandâ, Regio auspicio successoris Serenissimi CAROLI II. multa cotidie & magna tentari perficique, labores egregiæ Societatis, in hoc eruditionis & studiorum genere, subtiliter operosæ, satis superque demonstrant.

XXI. Interiora naturæ partim constituunt, partim explicant, MATHEMATICÆ SCIENTIÆ: neque magnus Physicus absque Mathesi, aut magnus Mathematicus absque Physicâ multum profecerit. Coniunctio igitur utriusque sapientiæ, quiddam parit pulcherrimum & admirabile, & regio favore dignum. Quia in re, forte nostra ætas antiquitatem quodammodo vincit, nisi quod plurima etiam antiquis cognitiora, amissimus, & ignoramus, vel vix per nubem speculamur. Proposuit sibi hanc conjunctionem doctissimus *Mersennus in cogitatis Physico-Mathematicis*: ubi & candidè variorum inventorum utilitatem laudat & explicat. Et jam pridem Galliam præcellere in hunc diem usque dicas in hoc genere; dum Christianissimi Regis auspicio & incomparabili munificentia, ut omnes aliæ doctrinæ, ita Physicæ & Mathematicæ, cotidianis incrementis provehantur ac extimulantur.

XXII. Magna indoles his studiis attollitur supra humiles cogitationes; & eruditur, ad discernendas à vera sapientia inanes & sine usu exituque contemplationes ac molitiones. Insidiari & interdum illudere solent Regum opibus, mirabilium promisso-

C

res

res operum; in Architectura civili & militari, in arte Navigandi & Fabrica Navium, in Metallis eruen- dis tractandisque, in unionibus extrahendis, in Opticis, in Tacticis, in Tormentis & sclopis, in omnibus deni- que magnarum rerum moliendarum instrumentis. Luce scientiarum, quas laudavimus, opus est, ne deci- piant grandiloqui; pro Naturæ & Artis commercio, utriusque prodigium haud raro venditantes.

XXIII. Ipsa Ars vitæ Civilis, tota & plena exhi- betur in Clypeo Homericō; per utriusque temporis in quæ hominum occupatio tribuitur, negotia, Pacis *ad. Iliad. Σ.* Bellique. Quod ex veteribus, apud *Eustathium*, *Demo* sapientissima foemina, & *Cercyræus* quidam *Sophista* dili- genter annotarunt. Et BELLUM quidem *Homerus* sobrie pinxit, duplicem belli gerendi rationem, *aperto Marte*, vel *ex insidiis*; *varios* itidem *casus*, & *multam mor- tis imaginem*; tum *finem belli* per *excidium* aut *mulctam* indicans. Arma etiam consilio temperanda, *Martis & Minervæ*, quasi *vim & consilium* diceres, sociatum certaminis regimen ostendit. In Heroico *Hesiodi* Cly- peo, eadem omnia, & præterea amplius exhibentur: *discrimen*, bella *ex animi libidine* fumentium, quos contentionis *vesanus amor*, quasi *mentis inopes* impetu in hostem agit; & *equi Iovis auspicio* arma in- duentium; quorum his *victoriam*, *justitia causæ*, illis *pavorem* *clademque* *temeritas & iniquitas* sua con- ciliat: Vices belli sæpe ante finem *incipites*, quando modo *pelluntur*, qui modo *pepulerant*. *Lapitharum & Centaurorum*, *aprorum & leonum* certamina, curio- fius.

sius etiam superadduntur; non nisi ad injustos, truces, immanes, feros, rationi parere nescios bellatores pertinentia.

XXIV. In Clypeo Regio nostro, nec Martis robur ac vim, sine Minervæ prudentiâ, extare volumus; nec utriusque virtutem commendamus, nisi *Themis* accedat tertium numen. Nisi forte poëtam hic audiamus:

nullum numen abest, si sit prudentia.

Juvenal.

Minervæ certè fabula, eam consilii copiam signat, quæ primam juris habet rationem. Quis enim consilio auspiciari & tractare bellum dicatur, nisi omnis prudentiæ auspiciam & moderamen in jure belli reponat, justeque non minus quam fortiter id gerere instituat? Regium est, nec timere bella, nec provocare.

XXV. Quare prudentiam vere Regiam dixeris, causas bellandi justificas à suaforiis discernere; harum illecebras non magis admittere, quam Hercules blandimenta voluptatis, contra sapientem disciplinam virtutis apud *Xenophontem*, admisit. Hæc, ut opinor, ratio Regiis consiliis intentos Reges nostros permovit, ut publice in Academia Upsaliensi explicari juberent, optimum huius argumenti scriptorem *Hugonem Grotium*, qui præclaro opere, *de jure belli ac Pacis*, omnem à bellis non suscipiendis modo, sed gerendis quoque finiendisque, ut injustitiam, ita temeritatem submovendam sibi desumpsit.

lib. 2. Memorab.

XXVI. PACATUM CIVITATIS HABITUM
 Clypeus Achillis præclare repræsentat. Hic *Sponsi*,
agricultores, *messores*, *vinitores*, *pastores*, *Judices*, in suis
 occupati operibus conspiciuntur. Et *Judices* quidem,
 auctoritas & gloria circumstat: Reliquorum labores
 innocuæ genius lætitiæ, *musicâ* & *choreis* solatur.

Fo. Gryphi-
 ander.

XXVII. Privata videntur, connubii, agricultu-
 ræ, reique rusticæ universæ nomina. Sed Regiis cu-
 ris comprehensa, publicam æstimationem assument;
 felicitatemque regni non minima parte constituunt.
 Conscripsit vir doctus *Oeconomica Legalia*. Superest
 labori locus nobilis, si quis animo concipiat, & in li-
 teras mittat, OECONOMICA REGIA. Inter Sena-
 tores Regis Regnique Sueciæ fuit, qui crebris usur-
 pabat sermonibus; Oeconomicam scientiam Rei-
 publicæ necessariam non satis studiosè appeti; & pro-
 pterea destinaverat à Reginâ petere, quo liceret in
 Universitate Upsaliensi *Professionem Oeconomicam* con-
 dere & dotare, cui præficeretur, qui œconomicas ar-
 tes, ex literis, & peregrinatione, gentiumque exemplis
 cognitatas, ad remp. referret.

XXVIII. Licet enim Unius regni ratio prin-
 ceps & architectonica magis ad Oeconomiam per-
 tineat, quàm alterius; illud tamen dubio caret, quod
 ea quoque regna, quorum status vel ob situm, vel ob
 vicinos æmulosve potissimum militia fundari vide-
 tur, œconomicis consiliis & inventis militiam suam
 meliorem faciant. Domestica exempla vel ideo ne-
 queunt.

queunt omitti, quia in Christiano orbe vix occurreret
 similis dispositio. Quid enim magis sustentat Militiam
Suecicam, quam illa *militum per prædia rustica de-*
scriptio? Optimumque videtur firmioris reipubli-
 cæ status temperamentum, si ad utrumque tempus,
 Belli ac Pacis, æquali robore, opibusque instruatur.

XXIX. MERCATURÆ maioris & NEGOTIA-
 TIONUM, magna & multiplex in hanc rem virtus
 est. *Tanta est Mercaturæ vis*, inquit *Bornitius*, ut *sæpe* de rer. suffici-
remp. ad fastigium summae potentia perducatur; & culturam entia, tract. 3.
terræ, emolumento publico & privato superet. De poten-
 tiâ amplificandâ, non ambigitur, & exempla vel è Bel-
 gio obvia sunt. Sed quæ de cultura terræ additur
 comparatio, cautione opus habet: Nam mercatura
 variis casibus non modo imminui, sed intercidi potest.
 Igitur maior & certior ratio publici commodi in sta-
 biliori terræ variè excolendæ studio reponenda est.

XXX. Et præstitit quidem egregiam in hoc ge-
 nere operam *Iacobus Bornitius*, quem modo laudavimus,
 quando de *sufficiëntiâ rerum in rebusp. & civitatibus pro-*
curanda, per culturam agrorum & metallorum, per opificia-
omnis generis, per mercaturam nauticam & terrestrem,
per ministeria varia, opusculum edidit, quo nolint ca-
 rere, qui ciuilia tractant studia. Sed, sicut in locos
 communes & titulos sedulo colliguntur, quæ huc per-
 tinent: ita interior hujus argumenti pars adhuc cul-
 turam expectat: scilicet *consiliorum & eventuum circa*
has curas specimina, inventa, artes. Ex historiis & va-
 riarum

riarum ætatum experientia, provisuque ingeniorum in hanc quoque prudentiæ partem foecundorum, *construendo opere*, quod genium habeat, ad Regium Clypeum aspirare dignum. Hujus confecti non modica esset gloria; utilitas etiam ingentior.

XXXI. MORUM ET CIVITATIS CONSTITUENDÆ REGENDÆQUE SCIENTIA, sicut Regio muneri propria est, ita in Clypei Regii insignibus pulchram & amplam figuram facit. Cumque *lectione*, *peregrinatione*, & *conversazione* eam parari, plerique consentiant: multa quidem de his studiis dicta scriptaque sapientum extant, sed felicem judicare debemus Principem, qui Educatores & magistros nactus est, Indoli Regiæ ad recta & alta tendenti suppetiari doctos peritosque. Copia *legendorum* & *meditandorum*, multis vel indicibus vel consiliis prodita est. Sed Studia Regum, temporibus & negotiis reipublicæ adstricta, neque discursus multos, neque disputationum ambages desiderant.

XXXII. Ut legat imperaturo Utilia Regium germen, idonei doctoris vox præmonstratrix, multa commendabit, plura subministrabit. sciat & legerit optima, qui non præceptoris magis quàm consiliiarii operâ, apud eum fungitur, quem à varia lectione, haud raro summa reipublicæ ratio excludit. Deus moderetur oportet, & genius præstigiis calliditatis non contaminatus cum virum, qui huic officio dignum os commodare debet. Ubique salebræ, illecebræ, tricæ: qui-

cæ: quibus Regia institutio, nisi pio magnoque animo tractetur, implicatur.

XXXIII. Regiam verè curam dixeris, si Rex qui regnatos genuit, deligat etiam viros idoneos, & inducat ad scribendum ea, quæ Regiæ disciplinæ, ex ipso usu & tractatu rerum, quàm maximè videantur convenire. Non statim placebunt, aut ubique valebunt omnia: sed ex pluribus speciminibus, proclivior erit, ad hanc metam via. Prudenter ac decorè Patrem Regi miscuit, neque patrium magis quàm *Regium*, in hoc genere, *Donum* prodidit Rex Magnæ Britannia, in opere notissimo, & undique celebrato.

Fac. R. δωρ.
βασιλικ.

XXXIV. Duo autem in primis ex pluribus scilicet præcipua, ad regnandi scientiam absolvendam commendare fas est: SACRORUM VOLUMINUM SIVE SANCTIORIS PHILOSOPHIÆ præsidium; & HISTORIARUM COGNITIONEM, tanquam pulcerimum imperii instrumentum. Laudari magnopere meretur, quantum ad institutum operis attinet, *Iohannis Boteri* studium: qui, cum videret, multis magnisque viris non displicere turpem & falsam istam sententiam, quasi *Regem, si majestatem suam salvam atque incolumem velit esse, non oporteat, intra Evangelii fines administrationis suæ rationem continere*; copiosius eam opinionem refutare & ex omnium sensibus evellere, atque divinis oraculis primum in Regiis curis locum assignare aggressus est, conscripto opere, cui titulus, *Sapientia Regia*. Neque, quicquid boni etiam ethnorum

corum

coram libri continent, alio pertinet, quàm ad tria illa, quæ fecit, capita: primo, *regna & victorias à Deo pendere*; deinde, *ea hisce rebus conservari, quæ res Deum nobis conciliant*; postremo, *hisce everti, quibus Dei in nos ira accenditur*. Hinc est, quod Clypeo Regio ubique inserta animadvertitur divinitas.

XXXV. *Historiam* quidem, omne Clypei decus & argumentum *Maro* concinnavit. Quæ hoc ipsum, quod modo dictum est, vel testatissime docet: *cujus scholam, Regiam esse, nemo abnuat*. HISTORIA TEMPORUM, mature concipienda est animo. Subsidia varie suggeruntur: inter hæc imagines ne concinnæ quidem, sed ineptæ monstrosæque. valde vereri aliquis possit, ne illa compendia, memoriæ & judicii dispendium portendant. Cordatum esse debet, quicquid Regiis profectibus destinatur. Veteres cautè & sobriè in omni arte memoriæ versati sunt, unamque omnibus prætulērunt *Exercitationem*.

Fab. Quintilian. Institut. oratorat. lib. II. c. 2.

XXXVI. HISTORIAM LOCORUM, non desunt, quæ facilem & suavem reddere possint hodiè; & accedunt cotidie nova industriæ hujus meditata. Res digna, quæ munificentia Regiâ ad majora semper incrementa provehatur.

XXXVII. IN GENEALOGICIS, vana & vaga, temereque asserta vel conficta aspernari, loco & animo excelso dignum est. Hic quoque GUSTAVI ADOLPHI Magni Regia gravitas laudanda est, qui, licet

licet antiquissimâ stirpis Regiæ nobilitate, editus esset, vanitatem tamen hominis, qui originem ejus à Noacho deductam in Tabula peregrè obtulerat, merito derisit. Et postquam sagacior ætas nostra, probationes exigere cœpit à Genealogicis, publice sordent commenta, quibus ante quasi auctoritas artis obtendebatur. In Regia disciplina, non est nullus huic notitiæ locus. Sicuti enim inter boni Regis notas habetur, suum quidem genus ornare, ceteras autem familias illustres in suo Regno fovere ac tueri: ita easdem noscere verum fuerit, & tali consilio consentaneum. cum præsertim hæc cognitio multum de Reipublicæ & regni fati contineat.

XXXVIII. Quamvis autem Historiam omnem omnium gentium & sæculorum perdiscere ei convenit, qui altissimo loco est constitutus, *Domestica* tamen & propior propiorem curam meretur. Hactenus non caret laude recti judicii *Didacus Saavedra*, qui Politicam Regiam serenissimo Hispaniarum Principi dicaturus, symbola sua & exempla potissimum ex *Hispanica Historica*, eaque Regiâ, desumpsit. v. Prefat. ad Pr. 1640.

XXXIX. RERUM PUBLICARUM PRINCIPATUUM IMPERIORUMQUE TOTIUS ORBIS HISTORIAM variis linguis, operibusque tradere aggressi sunt multi. Et adhuc tamen, absoluti operis idonei specimine caremus. Nam & veterum hoc in genere curæ, *Aristotelis Respublicæ*, aliaque aliorum opera interierunt. Vix est res unius hominis; nec

D

alterius

alterius, quàm publica munificentia & subsidiis adju-
ti. In hoc genere, unum sæculum, non unam affert
mutationem & varietatem. inde novæ descriptionis
necessitas subnascitur.

XL. De suæ quisque ætatis rebus, varij varia,
Rex omnia, colligere amat. Quo in studio *Relationes*
quæ vulgo vocantur & emittuntur, non sufficiunt.
Ipsa publicè actorum monumenta & pignora expe-
tuntur. Non male faciunt, qui animose sumtus huic
curiositati publicè utili impendunt. Et commovit
se duobus ferè abhinc sæculis ea industria, ut Archivo-
rum insignium Museis, non domi tantum, sed foris
ubivis gentium acta, ubere instructu, custodirentur.

XLII. Quod de domestica Historiâ dictum, Cly-
peo Æneæ æternis figuris insculptum est. Hic enim,
Virg. Æn. 8. omnis Romana historia, Romanis condiscendis ar-
tibus consecratur: non sine civilis judicij studiique
expressis imaginibus. Origines, incrementa, vices
bonorum malorumque, usque ad fastigium potentia;
intra quam fuit, si rectè reputes, quicquid postea
maximum fuit.

XLII. Clarius etiam, quomodo Reipublicæ
De 4. consul.
Honor. v. 396.
Gr. præfuturus adolescens debeat se, in tractanda histo-
ria patriâ adhibere, *Claudianus* ostendit, qui parentis
monitus ad Filium regnaturum ita exhibet:

Interea Musis, animus dum mollior, insta,

Et,

Et, quæ mox imitere, legas : nec desinat unquam
 Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.
 Antiquos evolue Duces. assuesce futura
 Militia. Latium retro te confer in ævum.
 Libertas quæ sita placet? mirabere Brutum.
 Perfidiæ damnas? Meti satiabere pænis.
 Triste rigor nimius? Torquati despice mores.
 Mors impensa bonum? Decios venerare ruentes.
 Vel solus, quid fortis agat, te ponte soluto,
 Oppositus Cocles, Muci te flamma docebit.
 Quid mora perfringat, Fabius : quid rebus in arctis
 Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus.
 Discitur hinc, nullos meritis obsistere casus.
 Prorogat æternam feritas Tibi Punica famam,
 Regule : successus superant ad-versa Catonis.
 Discitur hinc, quantum paupertas sobria possit :
 Pauper erat Curtius, cum Reges vinceret armis.
 Pauper Fabricus, cum Pyrhi sperneret aurum.

& quæ alia sequuntur.

XLIII. JUS DICERE POPULIS pars est offi-
 cij Regii luculentissima ; Clypeo Achillis magnificè
 consignata. Quare Educatio Regia non omittere
 potest eam curam, quo Regnaturi mens DIVINI
 HUMANIQUE IVRIS INTELLIGENTIA imbuatur. Sue- Tac. 4. Ann-
 dica exempla non parum disciplinæ hujus continent. nal. 38.
 Codex, nec multitudine Legum prægravis ; nec pau-
 citate mancus : Judicia, præsertim Regia Aulica, quæ
 vocantur, multis auctoritatis & gravitatis præfidiis
 ornata ac munita : Jurisconsulti ad latus Regis Revi-
 suri

furi judicata, præstantes. Rex Carolus IX in-
 staurator & confirmator Juris Suedici æterna laude
 eluet. quod nova latinâ versione accuratius explanari,
 inter GUSTAVI ADOLPHI Regis destinata erat.
 Brevis & facilis consequendi & disceptandi juris via:
 qualem beatis antiquitus sæculis Poëtæ tribuunt. Nul-
 lum interim peritiæ juridicæ, alibi ad summa prove-
 ctæ, subsidium deficit. Nisi festinandum esset, osten-
 deremus, non satis bene informatum, nec sibi con-
 sentaneum fuisse *Arthurum Duck*, ubi de Suecorum
 legibus loquitur.

*de authorit.
 juris Civ. Rom.
 lib. 2. c. 14. n.
 5. usque ad fin.*

XLIV. Quid abesse potest Regum Filiis in
 omni Regiâ institutione; sive præceptores quærun-
 tur, sive in convictum & comitatum assumuntur; quo-
 rum prudentiâ Regiæ artes tradantur instillenturve?
 Non impensæ, non egregij ministri desunt Regnis
 unquam, nisi quæ ruitura, fato suo urgentur. Sue-
 ciæ etiam domi nascuntur incitamenta Educatoribus
 ad recta consilia, Educandis ad summam omnis pro-
 fectus laudem. Non ad exuendos sed deligendos &
 fovendos magistros, *satis amplis doctoribus sunt instru-*
cti Reges nostri, *majoribus suis & parentibus.* Ne ad
 longinqua eamus, quantis honoribus, præmiis, &
 quod his est amplius, favoribus præceptores suos &
 Educatores prosequeretur Rex GUSTAVUS ADOL-
 PHUS & Regina Christina, Regiarum laudum duo
 sidera? Nec minus illustre exemplum hujus virtutis
 Filio in spem regni genito, quod ut plenus regiis mo-
 ribus & artibus diutissime gubernet, Deum venera-
 mur,

*Fac. 14. A. 25.
 5.*

mur, Divus Parens reliquit. Ille *Torstensonium*, Martem Suedicum, quo duce, militiae labores condidicit, parentis loco habuit; Ejusque Filiis, post fata patris, invicem se pro patre, non verbis modo sed factis exhibuit. Ille venerandum senem, *Lenæum* Archiepiscopum, cujus librum institutionis christianæ Religionis descriptum, non a vide modo perdidicerat, sed individuum peregrinationis viaticum circumtulera, itidem, ceu Patrem amavit, coluitque. Et quid non expectent à Filio per omnia decora patrissante, qui nunc patrio provisu adolescentiam Regis firmant, vel ut Administratores Regni Atlantes, & Senatores, vel ut Doctores, vel ut ad omnia Regi Regnoque utilia comites ac ministri assidui ac domestici. Nam pietas, quam Reginae OPTIMÆ MATRI promittit Regia Filij indoles, verbis exprimi non potest. Extat Numus Diuæ Memoriae sacer, magni Regis LVDOVICI XIII Christianissimi, anno 1617 editus, vna facie Regem folio insidentem, & è regione loco honoratiore Matrem; ab altera parte iunctas Regias manus ostentans, pulchrâ inscriptione; VT SALOMO, SIC EGO MATREM. Probum & iure optimo nixum exemplum.

XLV. Licet autem, ut dictum est, vix unquam summæ fortunæ desint, electissima Educationis Regiæ instrumenta & adjuncta: Suecia tamen parum intelligere videri posset sua bona, nisi, sibi ex voto & supra votum quodammodo contigisse gauderet celsissimarum artium copiam, quibus ad fabricandum

Clypeum, *Septentrionis Ancile*, grandibus auspiciis, indefessis laboribus, pulcro ordine, mirifico bene de rep. merendi certamine, opera confertur. Non Martis, non Minervæ, non virtutis aut Consilij nomina in Clypeis Heroicis magis celebrare aut perpetua reddere, ingenium Homeri, sapientia Hesiodi, Eloquentia Virgilij potuit: quam vestra vos merita, ò nomina æternitati nata, ad posteritatem prædicabunt.

Hom. Iliad. Σ
& T.

XLVI. Perficitur ergo divina arte Clypeus *magnus, firmus*, REGIUS: & orbe, cuncta virtutis Heroicæ auspicia pignoraque complexo, concluditur: *Splendorem* emissurus, ut *Luna*, in omnes orbis partes. *Sueciæ Carolus, Achilles: Carolo Suecia, Thetis est: hæc, ceu*

Ovid 13. me-
tam.

— *pro nato carula mater*
Ambitiosa suo fuit, ut cælestia dona,
Artis opus tantæ, præstanti pectore princeps
Indueret: quique hæc Clypei calamina nôrit,
Oceanum & Terras, cumque alto Sydera Cælo.

Quem Divus Parens Clypeum gestaverat, hoc elogio ad omnem posteritatem auctus noscitabitur:

Ex Ovid.

————— OBSTANTIA FATA REMOVI.
Qui aptabitur Filio, merito indicabitur
————— PATRIÆ SIGNUM FATALE SALUTIS.

ap. Hesiod.

XLVII. In *Herculis Clypeo Hesiodæo, nec penetrato, nec pene-*

penetrabili, aliis ornamentis accedit *Concilium Deorum*,
 in eoq; *Phæbi Sonans Cithara, & Musarum amabilis cantus*.
 Quod genus formæ nobilioris omisit in eodem Her-
 culis Clypeo describendo *Quintus Calaber*. Illustria
 & Regia facta meritaque, illustres postulant scripto-
 res. Igitur fovere ingenia & artes, Regij non modo
 consilij sed exempli est. Quamquam autem non de-
 sint, qui historiam rerum ac temporum propiorum
 non statuunt scribi oportere: eo quod rationes actus
 publici interiores sine quibus historiæ Utilitas non
 explicatur, in secreto reponendæ sint. videtur tamen
 adhuc superesse via hujus expediendæ difficultatis;
 si scribantur quidem, sed non nisi opportuno tempo-
 re divulgentur historiæ. Præterea, nemo sane opta-
 ret, Julium Cæsarem abstinuisse manum, à comme-
 moratione rerum suarum, eo quod multa, ex aliis
 supplenda, aut alio habitu cognoscenda sunt. Sunt
 & hodie exempla libertatis in scribendo non vulga-
 ris: ejusque incitandæ tuendæque consilia & artes.
 Quæ tamen omnia, non nisi publico consilio provi-
 suque regi & administrari, nequaquam autem priva-
 tæ quamvis egregiorum virorum industriæ relinqui
 debent. Interea *Ephemerides Politicæ*, foris *Legatorum*,
 domi *Palatinæ ac senatoriæ*, perpetuis historiis argu-
 mentum & Materiem in Utilissima Archivi parte,
 ceu *Thesaurum*, reponunt ac custodiunt.

XLVIII. In *AEneæ Clypeo* virgiliano, vis *Roma-Æn. 8.*
na, & fastigium potentia, quale non est aliud in histo-
 riis; & Augustus triumphis felix, pacis artibus etiam
 copio-

copiosior, magna omnis prudentiæ regnatricis exempla præbent. Futura in præteritis consignantur. nam virtutem fortuna plerumque sequitur; neque spes luculentæ messis fallit eos, qui virtutis semina Regio solo mandant. Inscriptum, & jam prævisum huic Clypeo carmen, Romanarum artium summam referens, dixeris:

Virg. 6. Æn. *Parcere subjectis, & debellare superbos.*

XLIX. Si sortes Virgilianas, absque omni superstitione, liceret captare, abesse vix potest, quin statim Lector, in Serenissimum Regem Carolum, ad paterna & avita decora efflorescentem, accommodaret illud divinum:

HÆ TIBI ERUNT ARTES:

Et illud, veluti auctarium adderet, quod Eurypili Clypeo, Herculis certaminibus adornato, pulcerrimum inest, de Heroica Regum indole, apud Poëtam:

Quint. Calab.
lib. 6. paralip.

— ε γάρ η θεῶν δένθη ερανιώνων
ἀπρηκλον τελέθη, η ἀμήχανον, ἀλλὰ οἱ ἀλκῆ
ἔσσει ἀπειρεσίη, καὶ νηδύθη ἐνδον εόνη.

— neque enim soboles augusta deorum
Ignavos motus, ceumachina tarda, capeffit:
Robore sed firmo iam primâ ab origine pollet.

IV.

IV.

Usus & Virtus Regij Clypei: in negotiis belli, & Pacis: in curis & consiliis ordinariis; & extraordinariis: domi, forisque.

Sed jam Clypeum sibi aptaverit Rex, & Heroicorum Operum patrandorum fatale instrumentum circumferre cœperit. Quanta hic surgeret rerum scribendarum series? quanta, in admirationem & exemplum sine exemplo irent, Virtutis Regiæ Spectacula? Sed servanda est lex cœpti operis. igitur in paucis, sed insignibus, speciminibus, vim & robur Clypei Regii designabimus.

II. Habebat Suecia *Busiridem*, hospitem mactatorem. Christiernus iste fuit, qui *per speciem convivij* illustres optimosque viros *contractos, immanitate barbarâ trucidaverat.* Quo disperso terrore, ceu fulmine afflati, servitute oppressi iacebant Sueci; appositis diris canibus prædæ futuri: cum GUSTAVS Primus, Magni Alcidiæ functurus munere, divini & fatalis

1520.
Jo. Magn. hist.
lib. 24. c. 3.

Opposuit molem Clypei, textitque iacentes.

Ita submota tyranni rabies & in libertatem resurrexit Suecia. Quot ille Liberator discrimina, quot
E à tyran-

Loecen. hist.
Succ. lib. 6.

à tyrannidis ministris tela immissa excepit clypeo impenetrabili? At quæ emisit ipse, certam hostibus cladem portendebant. Servant memoriam tantæ rei *Nummi à Gustavo Liberatore cusi*, cælaminibus Clypei Regii accensendi; qui ab unâ parte ARMATI VIRI IMAGINEM, ab alterâ, DUAS SAGITTAS præferabant.

Indid.

III. Quanta IN MILITIA Gustavi hujus fuerit DISPOSITIO, & ex dispositione, regni securitas veluti Clypei Regii opus emerferit, vel Comitiorum Arhosiensium decreta anno 1544. ostendere queant. *vbi omne regni, provinciarum, civitatum, pagorum robur in indicem mittitur; ad omnes regni partes, veluti excubie & præsidia, munimenta, labores, consilia dispertiuntur; ad exemplum singularis prudentiæ.*

Indid.

IV. Sicut autem, hostili nunquam potuit succumbere dextræ tantus Heros; ita *occultis quoque insidiis & fraudibus frustra tentatus est.* Deus erat Clypeus Gustavi. *cujus luculenta pro eo cura, quando immanis conjuratio de Rege vel sulphureo pulvere, vel sicâ, vel venenis tollendo, mirabiliter detecta in exitium con-sceleratissimorum capitum recidit, potuit conspici.*

V. Quantus fuerit *in legibus ferendis, in moribus Cleri emendandis, in æconomia publicæ institutis*, longa esset enumeratio. Fœdera longe lateque ad negotiationum incrementa diffudit; &, quod inter rariores curas referri debet, hic est, qui Europæi orbis, & præfertim

fertim Germaniæ, potentatibus Sueciam non unis vinculis conciliavit & illigavit.

VI. Inprimis ad gloriam & perpetuitatem rei Suedicæ eximium fuit Clypei Regii argumentum, quod *in Comitibus Arhosiensibus Sueciæ regnum, quod suffragiis & electione antea deferebatur, HÆREDITARIUM factum, & ancipiti, incertæ ac sæpe pravis aliorum cupiditatibus ac turbis opportuna eligendi rationi tollenda, & maxime insignibus ac ferme incomparabilibus Gustavi Primi Regis erga regnum ac patriam meritis remunerandis instituto succedendi modo, ad familiam Regis Gustavi ac mares eius heredes ac posteros, solenni lege & pacto, quod VNIONEM HÆREDITARIAM vocant, alligatum & adstrictum est.* Dixi hoc verbis *Cl. Loccenii ex hist. Sued.*

1544.

lib. 6.

VII. Si unquam regni obtinendi modus summâ prudentiæ ratione, & eventu felici est mutatus; Suecia certe legem successionis constitutam, pro fatali & cœlesti pignore regni, ab eo tempore habuit. & 1604. &c. hoc ipso sæculo non semel instauravit. Faxitque Deus, ut Sueciæ nunquam redeat illud tempus, quo regem magis quærere quàm sumere debeat. Hic est Clypeus, quo dissidia domi, improbæ spes foris depelluntur; *Clypeus Gustavianus*, omni præsidiorum salutis publicæ copiâ & ornatu dives.

VIII. Antequam à Gustavidarum communi clypeo discedamus, non alienum fuerit mentionem signi Heroici facere, quo præsaga futuri Natura

Loecen. Hist.
Suec. lib. 6.

Ind. p. 416.

Gustavi illius Primi *pectus rubra cruce* muniverat. Prima quasi genethliaca vox illa extitit: *Hic Christiana religionis studium, tutelam regni existimabit; posterisque exemplum, nunquam sine periculo negligendum, transmittet.* Stat in hunc diem, contra varia molimina & *rubrum librum*, aliaque pericula, rata, omini, & spei, & consilio, fides; Stabitque. quid enim non auguremur boni, ex Indole illa Regiâ, omnium Regionum consiliorum & operum auspiciatissimâ imitatrice?

Loecen. Hist.
Suec. lib. 8.

IX. Nepos Gustavi Primi ex Carolo IX. *Gustavus Adolphus* Regium Clypeum suscepit librandum adolescens, in summis rerum difficultatibus; imminentibus undique bellis: quæ paulatim, partim ut potuit, propulsavit; partim frustra componere tentavit: Donec, Russis præsertim, fortitudine supra ætatem eximiam pacem extorsit. Quanta in illo Rege virtutis fiducia? *Clypeo Regio* feliciter & decorè utitur; eo se, patriamque & cives tutatur, indefessus operis & laboris: Coronam tamen Regiam nondum capiti suo imponi vult; *donec*, inquit, *fines Regni mei ab hostibus vindicavero.* quasi plus in meritis Regiis, quàm in insignibus, esset.

X. Inter initia regni, *vectigalia*, nervus reipublicæ, constituta; *res Academica*, regni præsidium, ordinata & instaurata; *peregrinandi*, anceps inter bona & mala, consuetudo, iis limitibus & legibus conclusa, ne Patriæ noxia esse posset; neve hostiles apud gentes, hostiles animi ex non-animadverso formarentur.

Quæ

Quæ, si magis placet Heroicum carmen, ita signavit
eximius Poëta:

— Redeunt artesq; Scholæque,
Et studiis nova templa patent; non præmia Musas
Destituunt, sed colla levant contempta Camæna,
Seq; inter Scopulos atq; in via saxa, lacusque
Et Dryadum saltus spectat Doctrina renasci.
Urbes ipse iubet alias & mænia condi,
Et Gothicas fulcit mansuris legibus arces.
Hic vallos operi, tum propugnacula signat,
Et tutos aperit portus, pulcrisque colonos
Pollicitis, placidisque levat commercia iussis.

Barla. in Tu-
mul. Gnstar.
Adolph.

XI. Duo sunt quæ maxime mireris in hoc He-
roe: quod fundamenta reipublicæ, quæ jecit, manse-
runt in vestigio suo, meliorque tam *Pace*, quam *Bello*
status, etiam tum duravit, imo incrementa cepit, cum
in ipso ætatis & victoriarum robore, interceptus, In-
fantem Regno Filiam reliquit. Tanto facilius am-
plitudo regnorum attollitur, quàm incolumitas con-
stituitur.

XII. Non fefellit eum fiducia venturæ fortis,
crebris sermonibus testata. Cum enim amici sæpe
monerent, ne assiduis belli periculis caput Regium, in
quo fors cunctorum sit, objectaret: respondere sole-
bat: *nunquam regno, etiamsi aliquid sibi humanitus con-*
tingat, de fore propitiam Dei tutelam, & Procerum virtu-
tem.

XIII. Quare si *Clypeus Gustavianus* denuo adorandus foret; inter præcipua symbola, extaret **FOR-
TVNA, & FAMA, & EGREGIORVM MINISTRO-
RVM PEPLVS.** *Fortuna* in seriem foecunda. hæc est, quam *Fama* gentibus tradidit; & *virorum fortium* humeri continenter sustinuerunt. Acceperat ipse Rex Gustavus Adolphus à Diuo Parente, amicos Sapientiâ pacis & virtute belli præstantissimos. Sed plures ille suis auspiciis, exemplis, consuetudine fecit & reliquit tales successoribus suis adjutores. Distrahunt intuentem illustria Heroum nomina, quem primum, quos primo pares nominare deceat, anceps est animadversio. Ipse Rex candidissimè suorum virtutes æstimavit, quorundam etiam merita in futurum prævidit & vaticinatus est.

XIV. Talis certe ab illo tempore fuit *Regni Senatus*, ut posteris miraculo & exemplo esse possit. Tenent *Regis Regnique in Suecia Senatores*, locum quasi medium, quo intetvallum illud inter Regem & populum, tam præclarè expletur, ut nec Regiæ potestati quicquam decedat, nec libertati civium sua desit fiducia: tanta felicitatis publicæ contemperatione; quantum optarunt potius quàm descripserunt Sapientes. Hæc Chymia politica, ut ita dicamus, Clypeo Regio occultæ & arcanæ virtutis characterem impressit, quo longe lateque invalescit.

XV. Sicut, *arma*, sunt membra militis; ita viri tam illustres, *Pars corporis Regij* merito habenutr. Ho-
rum

rum forti fidelique operâ totius regni utilitates & necessitates explicantur. *Principes huius Senatus*, antequam Rex aut Regina in suam tutelam perveniunt, vel, si Rex valetudine aut absentia attinetur, diemue suum obiit, Vicem Regiam sustinent, & in omnia regimen obtinent. Ita facilius consilia & beneficia in omne corpus dispertiuntur.

VXI. Sunt enim Idem Collegiorum, in quæ administrationis publicæ ratio describitur, capita. Quorum *Proceres* quidem regali nomine & officio summum à Rege Justitiæ ac judiciorum præsidem agit: *Marschus*, seu Archistrategus Militarium curarum, dispositionum, legum, arbiter est: *Ammiralius*, seu Architalassus, omnis rei & militiæ navalis moderator audit: *Archicancellarius*, civilium negotiorum expediendorum, omnisque scripturæ publicæ temperandæ, auctoritate pollet: *Archithesaurarius*, Fisci & Ærarii, subsidiorum regni, erogationum, compendiorum, curam gerit. Quibus accedit *Commerciorum* ordinatio & provisio.

XVII. Horum Procerum vigili curâ, sicut iam ante effectum est, ut auctoritati & potentiæ Rei Suedicæ, per infantiam & puellares annos Serenissimæ Reginæ CHRISTINÆ nihil decederet, multum imo accederet; ita, ut nunc quoque Divi Parentis Sceptrum & Clypeum, non sine incremento gloriæ, maturâ ætate suscipiat Rex Carolus, spes septentrionis, eorundem supremorum Capitem & Munerum provisio erit.

XVIII.

XVIII. *Comitia* non minimam partem Clypei, sub cuius tutela Suecia floret, roborant. Hic collectis Regni Ordinibus primò accuratè recensentur, quæ inde à superiorum novissimorum Comitiorum tempore, in Republica euenerunt, aut decreta & acta sunt. Refertur deinde de Republica: & ordines, in suo quisque Senaculo deliberant: dicuntur sententiæ; & denique perscriptæ recitantur: Senatoribus Regni inter Regem & Ordines consulentibus, & consultis; agentibusque, donec proveniat Comitiale Decretum Legis vicem ad omnes habiturum. Occasione horum Comitiorum, omnis generis *desideria* civium ad Regem deferuntur; & benignè excipiuntur.

XIX. Est & in subitis *conventus arctior ex omnibus Ordinibus delectorum*; cui tamen idem pondus auctoritatis inest, quod integris Comitiiis. Neque enim tempus anni, aliaque impedimenta, semper sinunt ex tam latè fuso Regni corpore, numerum ampliorem exciri.

XX. In his & reliquis consultandi decernendique generibus, anima consilii, *secretum*, vix alibi accuratius custoditur. Quo pertineant illa & ista, belli, pacis, legationum momenta, non nisi exitu comperiri solet. Facile enim occurritur istis conatibus, qui prænoscentur, antequam fiunt. Legem, certe morem prudentiæ Suedicæ dixeris, nihil insolidum, aut ad summam reipublicæ parum pertinens, aut provisus haud abunde præfidiis, aggredi.

XXI.

XXI. Sed quomodo *Clypeus Regius* ab Heroibus Septentrionis gestatus, & à Serenissimo Rege CAROLO deinde gestandus & adhibendus sit ; annalium est, non brevis scriptiunculæ, labor. Et de *prudencia Regia*, Clypei symbolo comprehensa, suffecerit specimina quædam attigisse potius, quàm commentarios instituisse.

XXII. Unum & alterum tantummodo adjiciemus. Ad Regna munienda & protegenda, auspiciatum & felix signum in Clypeo Regio lucet, *singularis Fæderum pro pace iungendorum prudentia*. Quæ in bellicas societates incuntur amicitia, multum sanguinis & cladium portendunt. At vero sancta est & salutaris fœderum ratio, quæ pro pace gentium facit. Nunquam tam bene cum rebus humanis agetur, quin pericula genti à gente immineant ; quin æmulationes, metus, suspiciones, animos & curas Regum exercent. Verum ne erumpant hi motus in cruenta bella, sub *Clypeo Regio*, non tantum instaurandæ sed servandæ tutandæque Pacis securitas convalescit.

XXIII. *Clypeus Fæderum* est, cuius conferta robora quædam ; quæ fas est, signari merentur. Tempestivis fœderibus efficitur, ut maxima potentia non magis formidabilis sit quàm modica : ut Fortunæ & Ambitioni, potentissimis ad perturbandam gentium quietem nominibus, limites ponantur : ut amici esse discant, qui inimici esse mallerent. Quam pulcra Pacis inventa insunt huic prudentiæ ? Bellum parare & san-

F

guini

guini parcere : communes facere utilitates, domesticarum virium opumque collatis in medium officiis, absque querela & iactura ullius gentis : fidere, absque negligentia ; diffidere, absque injuria : amicos non destituere, inimicos non parare : plus auctoritatis, ex certa pace, quam gloriæ ex incerta victoriâ, lucrari : incrementa aliis non invidere, detrimenta domi non metuere.

XXIV. Amata Deo consilia, quantum possent felicitatis parere toti Christiano orbi ? Quod multa non viderunt sæcula, prope in spem veniret, ut Fœderum consuetudine, Europa, amica amicorum suorum, nullam barbararum Christianoque nomini infensarum gentium vim vel sentire vel expectare posset.

XXV. Quid potius, pii civis voto pro Regis Regnique salute congruat, quam si *Clypeum Regium*, ut nemini impune laceffendum, ita solis qui Pacem sæculi & Christiani orbis odisse poterunt, terribilem, ad posteros celebrari exoptet ? Non aliud inter Regia decora illustrius, quam VIRTUTIS INVICTÆ, sed PACIFICÆ ET SOCIABILIS.

Corol.

Corollarii loco adjecta.

I.

Aristotelis mentem, de Regno Barbarico agentis (lib. 3. polit. c. 10. & 11. aut secundum aliorum distinctionem c. 14. & 15.) non rectè cepit & interpretatus est Joannes Bodinus (lib. 6. de Rep. c. 5.) reprehensus propterea Michaëli Piccarto in explicatione Politicorum Philosophi.

II.

Regna & Principatus, nihil aliud esse, quam merum imperium, falso, cum aliis statuit *Fernandus Vasquius controversiarum illustrium lib. 1. cap. 4. n. 1. & 2. & lib. 4. c. 1. n. 1.*

III.

Princeps ad pacem consequendam potest remittere damna privatis illata, partim sine compensatione, partim cum compensatione.

IV.

Præcepta negativa fortius obligare, quam affirmativa, merito negat *Fernandus*

94 TT 1382

(44.)

*duc Vasquius Illustr. controu. lib. 1. c. 30. n. 19.
20. 21.*

V.

*In quæstione, an populus Principem ha-
bens, leges ferre possit, periculosè partim, par-
tim ex hypothesi non concessâ aut conce-
denda, philosophatur Fernandus Vasquius
illustr. Controu. lib. 1. c. 47.*

VI.

*Idem, non argumentatur valide, à lege
permittente maritis cædem adulteri, ad
licentiam duelli consuetudine inducen-
dam. Lib. 1. c. 49. n. 1. § 4.*

VII.

*Qui statuunt, nunquam puniri, quia pecca-
tum sit, sed ne peccetur; nec Seneca auctorida-
te se tueri, nec materiam de pœnis, omisso
finium uno, commodè explicare possunt.*



VOT

MC



© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black